



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

XL. Hermannvs II. XIX. Arch. III. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

mò litaturus Deo esset Sacerdos. Ita dimissus crevit virtute & sapientia: ob vultus tamen deformitatem nobilitati haud acceptus, in pago constitutus est Parochus, quem venationi intentus D. Henricus Imperator cum obvium sibi haberet, & ut Missæ Sacrificium se præsentem offerret, potiùs rogaret, quàm imperaret, mox ignoto Cæsari morem gessit. Inter celebrandum mirabatur Henricus, quòd homo tam deformis in Sacerdotum electam sortem fuisset cooptatus: at tunc subito audiri cœperunt verba: *ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Monente Piligrimo, aut veriùs Deo, hæc ipsa altiori sonitu verba sunt repetita. Unde persuasus Cæsar tanquam audito de Piligrimi probitate oraculo, eundem pluris cœpit æstimare adeò, ut Piligrimum Electorali Sede judicârit dignissimum. Coloniae igitur anno 1022. cum primò celebraret Sacrum, dati Bernvaldo Hildesienfi Episcopo promissi probè memor, preces pro vivis dici solitas dicere paravit: at divinitus ibidem revelata Bernvaldi morte eundem mox inter mortuos numeravit populo mirante & vaticinium clamante. Annis 14. illustravit Coloniensem Ecclesiam an. 1036. D. Bernvaldi mortui vestigia secutus.

XL. HERMANNVS II. XIX. ARCH.
III. ELECTOR.

Hermannus II. Ehrenfridi seu Ezilonis inter Palatinos Comites Electoris filius, Henrici de Lacu itidem Electoris frater aut patruelis, geminum à virtutibus sibi mutuum sumpsit, aut proprium fecit cognomentum, pariter *Pius* & *Nobilis* per Antonomasiâ passim appellatus. Dum primas virtuti tribuit, Pontificem & Cæsarem atque bonos omnes sibi faventes habuit; à D. Leone IX. enim post Concilium Moguntinum impetrâsse fertur privilegium, quo Purpura Romana Hermannò & futuris Successoribus concederetur deinceps singulis ac universis. In eodem Concilio, & aliàs Henricum III. Imperato-

ratorem venerari licuit Coloniae nunquam adversum. De Hermannus virtutibus testimonium dixit inter alia etiam lampas pretiosa, quam in sacello quoque D. Magdalene honoribus dicato, luce perpetua iussit illustrari: illustravit vero Hermannus Germanam precipue Ecclesiam annis 19. an. 1055. tumulo illatus.

XLI. D. ANNO. XX. ARCH.
IV. ELECTOR.

ANno è Suevorum Comitum de Sonnenberg stemmate natus, frater Weneri Archi-Episcopi Magdeburgici, artibus, scientiis & virtutibus rite instructus, atque inter Canonicos adscriptus, Bambergensium Gymnasio Præses est postulatus: inde verò ab Henrico III. Cæsare consiliis adhibitus, & Legatus Coloniam missus, tanti ab Hermanno II. Archipræsule, & Canonicorum Collegio fuit æstimatus, ut eundem præ competitoribus aliis in Caput suum delegerint. Mox etiam publica Imperii autoritate Henrico IV. Romanorum Regi admodum Adolescenti datus, Adelbertum Bremensem Episcopum eo in munere expertus est adversarium, Henrici seductorem vaferimum; unde Augustus discipulus adversus Magistrum tantam concepit iram, ut nisi Agnes Augusta mater vim elusisset, Elector Coloniae in tantilli Cæsaris insidias incidisset, aut aperto vulnere concidisset. Idem iustitiæ assertor fuit non nunquam rigidissimus; argumento nobis sit exemplum ex pluribus unum. Cùm mulier multis obnoxia litibus iniquos iudices coram Archipræsule insimulasset, & causam argumentis firmasset, latâ ab Annone sententiâ, Viris septem eruti sunt oculi; septimo tamen, fortassis omnium minùs reo relictus est oculus, ut cæcorum deinceps dux foret. Hujus ipsius Archi-Episcopi Coloniae servari in monasterio Sigenbergensi ajunt Pedum, cui inscripta hæc sit legere verba:

Tityre coge pecus, cæcos ne ducito cæcus.

X 3

Dux